



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ivdx Magistrtvs Senator**

**Zype, Franciscus van der**

**Antverpiæ, 1633**

§. V. De Magistratum creatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14280**

*Ne amplius Senatusconsulta fiant. abrogata l. 9. D. de leg. & Senatusconsultis. & ad Principem id iuris retrahit.*

## §. IV.

## De iure sacrorum.

**I**Vra Sacrorum & Religionis à iuris & politica peritis ad summum Imperium referuntur. Iudæi diu eosdem Reges & Sacerdotes habuerunt. Melchisedech Rex Salem fuit, & Dei sacerdos. Anius apud Virgilium

*Rex idem hominum Phœbique Sacerdos.*

Nunc Deum munere, inquit Tacit. 3. *Annal. Summum Pontificem, Summum hominum esse Imperatorem.* sic & apud multas gentes. quarum Reges, seu qui clauum Reip. tenebant, de religione leges tulerunt. ita *De sacris statuta*  
Numa, ita decemviri in legibus XII. Tabul.

*Deorum fabulas ne credunto.*

*Deos peregrinos, præter Faunum, ne colunto.*

*Separatim nemo habesit Deos.*

*Neque novos, sed nec aduenas, nisi publice*

*Adscitos, priuatim colunto.*

*Nocturnas in templo vigiliis ne habentō.*

*Nocturna mulierum Sacrificia ne fuinto.*

*Præter illa quæ pro populo rite fiant, &c.*

*Ne quem inuitantō (nisi vt assolet Ceteri) Græco sacro, &c.*

Ita & apud *Linium l. 15.* decretum, ne qua Bacchanalia Romæ, neuè in Italia essent. apud *Tac. 2. Ann.* factum Senatusconsultum de sacris Iudaicis, Ægyptijsque pellendis. & sub Claudio, *Viderent Pontifices quæ retinenda, firmandaque Aruspicum essent.* sed hæc initio Imperij, atque in speciem, alioquin ad se deinde Iura Sacrorum in solidum Impp. transtulerunt. ita & Constantinus mox à baptismo Christianis templa, & Christi cultum permisit. quod Tiberius proposuerat; sed Senatusconsulto repullus fuit. & Alexander Seuerus, & Adrianus cogitarat.

## §. V.

## De Magistratum creatione.

**M**agistratum creatio ad summi Imperij iura etiam pertinet. Cum Romæ Majestas penes populum esset, in comitijs creatio peragebatur: tandè à Campo ad Patres translata est;

*muta;*

mutata Rep. ad Principem. *Ad curam*, inquit Modest. *in l. vn. D. ad l. Iul. ambit. Principis Magistratum creatio pertinet, non ad fauorem populi.* & Zonar. *Creatio*, inquit, *Magistratum maxima pars est muneris imperatorij.* ideoque Mæcenæ apud Dion. multo antè Augustum monuit, vt solus sine plebe, populo, ac senatu Magistratus crearet. Tiberius Consulum renuntiationem vsurpauit, alij etiam commendare solebant alijs, quibus in speciem ius creationis videbantur relinquere: alijs vilum est, minora aut securiora senatui, vel summis Magistratibus permittere, vt *l. 1. cap. 42. latius diximus.* Et Leonis Extruag. Constit. 47. habetur: *Abrogatio legis quæ Senatui Prætores, Decurionibus verò Præfectos constituere concedebat.* sic ea auctoritas ad Principem delata.

## §. VI.

## De extrema prouocatione.

**Q**uoniam appellatio est ab inferiore Iudice ad superiorem facta prouocatio, necessario sequitur eum, cui arbitrium de rerum summa datum est, prouocationem pati non posse. nisi quam ille à Principe malè informato ad rectius informandum proponebat. qualis ferè est prouocatio, de qua rescripsit Pius *l. 1. D. de appellat.* vt si Princeps non ex vero fuerit consultus, & secundum ea quæ proposita sunt, rescripserit; prouocare liceat: sed ad Principem. *Nihil enim*, inquit Pius, *à nobis videbitur iudicatum priusquam contra scriptum fuerit quemadmodum aliter res se habeat quàm nobis insinuatum sit.*

2.  
Majestatem lædit, qui alio appellat.

Qui Principe Supremo superiorem alium facit, quò appellet, Majestatem lædit. ad Principem enim omne Imperium atque potestas pertinet lege Regia. *l. 1. D. de const.* vt olim post pulsos Reges ad populum lege Valeria. cui cum à Consulibus aliquando non satis deferretur, eandem legem sæpius publicari oportuit: cuiusque tandem obseruationem lege Duilia mortis pœnâ sanciri. quam legem Liuius fundamentum libertatis vocat. adeoque (postquam iam *Principis omnia sunt imperio, etsi non dominio*, vt loquitur Seneca) meritò vocaueris fundamentum Majestatis.

3.  
Galli vltimum resortum suæ iustitiae dicitur.

Vnde non inconcinne Galli extremam prouocationem seu vltimum resortum nomine Supremitatis intelligunt. *le dernier resort de justice, en commun langage est appelé souveraineté.* vt in concessionibus feudorum maiorum; quando Principes sibi reseruant fidem, hominum, resortum, & soueranitatem: prioribus verbis priuatum, atque